ANNOTATIONES
ALIQVOT
DOCTISSIMI D.
HENRICI BRIGGII
IN PROPOSITIONES PRÆMISSAS.

DATO *Arcu dare Logarithmum eius ſinus verſi*] *ad huius propoſitionis finem* *** *ego libenter adiicerem. Et contrà, Dato Logarithmo ſinus verſi, inuenire eius arcum.*

Logarithmo 30:0.693147, *addatur Logarithmus datus ſinus verſi quæſiti: ſemiſſis totius, eſt Logarithmus dimidij arcus quæſiti.*

Vt ſit Logarithmus datus 35791 ſinus verſi ignoti, cuius arcus etiam ignoratur: huic addatur 693147 ſumma erit 728938 cuius ſemiſſis 364469 eſt Logarithmus 43:59:33. eſt igitur datus Logarithmi arcus 87:59:6. cuius ſinus verſus 9648389.

Si datus fuerit Logarithmus defectiuus ---54321, & quæratur eius ſinus verſus: addatur vt anteà 693147. ſumma (id eſt numerus reliquus, quia ſigna ſunt contraria) erit 638826, cuius ſemiſſis 319413, eſt Logarithmus 46:36:0, qui duplicatus eſt 93:12:0, cuius ſinus verſus 10558216, cùm ſit maior radio, habet Logarithmum defectiuum --- 54321.

DEMONSTRATIO.



cb, ab } sinus verſi arcuum { cd, ad

xc, cg, ch } proportionales { xa, ae, af } proportionales { ½ xc sinus 30:0, cg sinus ½ arcus cd, cb dupla ch rectæ } proportionales

Tandem ſenſi ſextam propoſitionem ſequentem, hoc ipſum eodem prorſus modo præſtare.

Trianguli ſphærici A B D]

Alium modum pro inuentione baſis ſequi poſſumus ſic.

Si Logarithmus ſinus verſi, dati anguli, addatur Logarithmis crurum: ſumma erit Logarithmus differentiæ ſinuum verſorum, differentiæ crurum & baſis quæſitæ. Idcirco per Logarithmum inuentum, quæratur differentia ſinuum verſorum, huic differentiæ addatur ſinus verſus differentiæ crurum, ſumma erit ſinus verſus baſis quæſitæ.

Vt in hoc exemplo: Crura 34. 47, eorum Logarithmi 581261. 312858. Logarithmus ſinus verſi dati anguli defectiuus --- 409615, qui additus ſuperioribus (quod fit per ſubductionem, quia ſigna ſunt contraria) dat 484504, Logarithmum differentiæ ſinuum verſorum baſis & differentiæ crurum.

Linea verò huic Logarithmo reſpondens, ſiue ſit ſinus verſus ſiue rectus, eſt 6160057, quæ eſt differentia ſinuum verſorum baſis & differentiæ crurum. Cui, ſi addatur ſinus verſus differentiæ crurum 02563000, ſumma 6416357 erit ſinus verſus baſis quæſitæ: qui ablatus è radio, relinquit 3583643 ſinum rectum complementi baſis 21:0. eſt igitur baſis 69:0.